Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 753
Quelle:
Copyright:

tis. elyſabeth nomine. cum qua et per quam ſpiritus ſanctus — mirabiliter operatur — reuelationes quas accipit. ab eius fratre Germano (Egberto poſtea ſecundo Coenob. Schönaug. Virorum O. S. B. Abbate) *uiro nimirum doctiſſimo deſcribuntur.* Congeſſit igitur hic ea etiam, quae Deus Sorori de inventis his Corporibus patefecit, in Opuſculum. *Quod cum legiſſem*, proſequitur Noſter, *et cum illa priſca* (paſſione) *Sanctarum Virginum contuliſſem. animaduerti ſcriptorem illius non quidem diſſona his ſcripſiſſe. ſed plura que memoratu digna fuerant pretermiſiſſe. — Viſum eſt ergo mihi de duobus opuſculis unum conficere* &c. Atque haec de Libelli Hiſtoria, qui incipit: *Poſt paſſionem et reſurrectionem domini ſaluatoris. cum ſagena uerbi dei fluctibus huius ſeculi immiſſa* &c. et poſt ſe *Titulos* habet, qui cum ſanctis corporibus inventi dicuntur, puta *Cyriaci* Papae, *Vincentii* Card. *Pantuli* Ep. *Baſileenſ.* &c. De Libello ipſo poſt *Sirmondi*, *Pagii*, *Launoji*, *Bailleti*, *Uſſerii*, aliorum de XI. Virginum Millibus judicia non eſt, quod memorem.

CCXXXIII. VIII H 17.

746 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 133. 8. non una manu luculente exaratus, et rubricis diſtinctus complectitur ſequentia: I. Excerpta ex Operibus D. *Auguſtini*, puta: *ad Petrum Diac. de Fide*, *Enchiridio ad Laurentium*, *contra Parmenianum Donatiſtam*, *Confeſſionibus* &c. quorum prima ceteris prolixiora.

II. *fol.* 33. ſequitur Tractatus minio inſcriptus: *Dominus Lanfrancus contra beringarium* (Turonenſ.) *catholicę eccleſię aduerſarium*, de Corpore videlicet et Sanguine Domini, quem in nota controverſia elucubravit Autor tunc Abbas S. *Stephani Cadomenſis*, et deinceps *Cantuarienſis* Archiep. usque ad an. emortualem 1089. Initium: *Lantfrancus Miſericordia Dei Catholicus. Beringario catholice eccleſie aduerſario. Si diuina pietas cordi tuo inſpirare dignaretur* &c. Finis: *et uerus eſt ſanguis quem potamus.* Poſt alias complures Editiones comparet in *Lanfranci Operibus* a *Luca Dacherio Pariſ.* 1648. f. vulgatis p. 231. Altera *Berengarii Confeſſio ibid.* p. 233. quam a *Lanfranco* Tractatui ſuo tardius inſertam cenſet *Dacherius*, cum Pericope antecedente et conſequente non magis reperitur in noſtro *Codice*, quam in iis, quos in *Praef.* nominat *Dacherius.* Sunt tamen in eo lectiones aliquae, quas hic fortaſſis adoptaſſet. Ita in ingreſſu Noſter habet: *multum fortaſſe tibi*, *procul dubio autem plurimum conſuleres his* &c. ubi *Dacherius plurimum* omiſit. Dein, ubi hic edidit: *euenire e duobus alterutrum*, Codex ponit *euenerit*, rectius, ſed legendum putem *eueniret.* Mox pro *ad ueram fidem* in Cod. eſt *ad ueram uitam* &c.